



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Litterae Annvae Iaponenses Anni 1591 Et 1592**

**Froís, Luís**

**Coloniae Agrippinae, 1596**

**VD16 F 3081**

De Collegio Canzvcano, Qvod nunc est in Amaiusa, & de alijs Residentijs  
ditionis Arimensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65620)

DE COLLEGIO CANZVCANO, QVOD  
nunc est in Amaiusa, & de alijs Residentijs  
ditionis Arimensis.

**I**N aduentu Patris, ad hoc Collegium ingēs  
gaudium Patribus & fratribus obortū est,  
qui numerum quadragesimum tunc excede-  
bant: cum in coniuncto seminario censerentur  
alumni circiter nonaginta. Et quia D. Pro-  
tasius Arimondonus ex graui morbo, quo de-  
cubuerat, adhuc languebat, nec poterat, tam ci-  
to Patrem inuisere, misit certum hominem,  
qui renuntiaret, se quamprimū per vires pos-  
set, affuturum. P. autem Visitator de eo conue-  
niendo cogitans, non existimabat id temporis  
publica & solemni Cærimonia, (quemadmo-  
dum alioquin decebat) lignū S. Crucis, ense,  
pileumque, quæ S. D. N. Xistus V. per Domi-  
nos Iaponios ei miserat, esse porrigendum, tum  
quod ægritudine dicta detineretur, tum quod  
Quabacondonus nihil dum de tyrannide sua re-  
miserat: quare si res hæc innotuisset, facile po-  
terat D. Protasius in aliquod venire discrimen.  
Verum ipse nullo modo voluit rem hanc sine  
debita solemnitate perfici, maximè quod tunc  
Arimæ, nulli essent externi, consideretq; plane  
subditos suos non esse rem publicaturos. Dein-  
de aiēbat minimè cōuenire honori suo & exi-  
stimationi, si dum sua Sanctitas tanta beneuo-  
lencia & gratia ipsum prosequitur, mittendo  
thesaurum tam preciosum ligni S. Crucis, non  
omni, qua possit celebritate, illum reciperet,  
quare

quare & volebat omnes equites, & Dominos  
suae ditionis primarios convocare, & magnum  
quasi festum instituere cum solenni processione,  
& magifico apparatu. Sed quia res erat pericu-  
lipennisima, facileque poterat ad aures Qua-  
bacondoni perferri, post varios discursus, &  
nuncios hinc inde factos, decretum est, ut actio  
haec institueretur quidem cum sollemni ca-  
rimoniam, sed intra Ecclesiam: processiones  
autem cum festis publicis, non celebrarentur,  
nisi post P. discessum, idque eo nomine quod Do-  
minus Protasius sanus Meaco revertisset. Cum  
ergo Arimensis Ecclesia, alioquin ampla, refer-  
ta esset populo; multique alij essent in porticu,  
& circum aram maximam, tabulae imposita sta-  
rent dona suae sanctitatis ad D. Protasium, praesentibus quoque quatuor Dominis Iaponensibus veste pretiosa amictis, cum organorum aliorumque instrumentorum strepitu inchoata est Missa solennis sacris operante Patre Visitatore, cui serviebant Seminarij alumni. Deinde habita concio est, in qua declaratum est, quis scopus quatuor Dominorum Iaponensium in hac Legatione fuerit; cur tantus honor in vrbe Romana eis delatus, nempe ut novellorum Christianorum animos sua sanctitas magis ad pietatem accenderet: nec aliam causam esse, cur honoris causa Domino Protasio, per nepotem suum Dominum Michaellem, haec munera misisset. Prolixè quoque expositum fuit, quanto in pretio S. Crucis lignum

semper fuerit, sic vt missum nunquam fuerit, nisi ad Principes magnæ dignitatis. Aderant ergo præstituto tempore, vt erat constitutum, Iaponenses Domini. Dominus Michael solenni ritu ferebat suæ sanctitatis breue impositum arculæ valdè elaboratæ, & precioso velo connectæ, stipatusque alijs dominis, offerebat D. Protasio agenti in Sacello maiori, qui magna reuerentia & submissione prosternendo se ante S. Sanctitatis Breue (quod summæ reuerentiæ apud Iaponios indicium est) arcula manu apprehensa, & in caput sublata Breue accepit, & Patri cuidam ponè astanti dedit, qui illud clara voce latinè legit, Patre Visitatore interim, cum pluuiali splendido, quod S. Sanctitas in Iaponem miserat, cum Diacono, subdiacono, alijsque ministris proximè aram sedentibus. Lecto breui latino, lectum est eiusdem exemplar idiomate Iaponico à quodam fratre. Comparuit deinde Dominus Michaël ante Patrem, tenens manu gladium euaginatam; Dominus verò Mantius cum galero; Dominus Martinus cum vagina gladij argentea inaurata, & deniq; Dominus Iulianus cum Breui, nam lignum sancte Crucis relictum est in altari. Post hæc subito Dominus Protasius cum prodijisset, & genua ante Patrem flexisset in altaris gradibus; Pater se erexit, & recitatis primùm aliquot orationibus ex Rituali Romano, reuerenter accepit sanctæ Crucis lignum, quod erat insertum fusili ex auro Crucis, in cuius

summitate

summitate erat Crucifixus & catena aurea, quod cum monstrasset, Dominus Protasius iterum in terram venerabundus se abiecit. Pater deinde, illud capiti eius imposuit, ac postremo in collum his verbis iniecit: Accipe Lignum sanctæ Crucis, &c. quæ sunt in eodem Rituali. Secundò Pater accepit ensẽ manu Domini Michaelis, & Domino Protasio porrexit dicens. Accipe gladium, &c. Denique galerum capiti eius imposuit, dicens. Accipe pileum &c. Tũ D. Protasius repetita eadem reuerentia, more Iaponico se submittendo, accepta benedictione à Patre, se erexit, & in locum suum redijt, ensẽ tradens D. Leoni, pileum verò D. Sancio, fratribus suis. Vaginam verò ensis præcipuo cuidam genero suo; qui manibus, toto solemnibus huius actus tempore, hæc omnia tenuerunt. Et breue suæ Sanctitatis eodem tempore locatum erat in Domini Protasij conspectu. Tanta autem fuit lætitia Equitum, Dominorum, & aliorum, qui maximo numero ad hanc actionem confluxerant, vt cum videret à Christi Vicario, tã nouo & inaudito honoris genere Dominũ Protasium affici, non potuerint se continere à lachrymis, nonnulli quoque & Deo Domino nostro, ac Patri Visitatori gratias egerint. Dum autem Pater completo diuino officio, cum alijs Patribus, & altaris Ministris se recipit in Sacrarium; Domini quatuor Iaponenses adierunt Dominum Protasium ei congratulaturi,

qui vicissim magno affectu gratias egit Domine Michaeli, tribusque reliquis, quod labores tam longi itineris sustinuisent: tantumque thesaurum a summo Pontifice, cum tanta sui nominis amplificatione, attulissent. Similiter Pater Visitator, cum alijs Patribus ei gratulati sunt, ipse verò totis artibus exultabat. multoque animi sensu grates agebat pro favore, ipsius opera per sanctis. D. N. præstito. Abierunt inde omnes vnà ad palatiū D. Protasij muneribusque Pontificijs in locum perbellè ornatum, more Iaponico, maioris honoris causa, repositis, cognati omnes magna contentione agebant gratias & P. Visitatori, & D. Michaeli. Dominusque Protasius palam affirmabat, sibi in ipsa receptione sacri ligni Crucis novas vires accessisse, & ad aliam vitæ rationem instituendam obligatum. Et mox curauit fieri arculam auream, in quam sancta Crux imponeretur; putabat enim eam, si nuda deferretur, non satis reuerenter tractari.

P. Visitator tandem Canzucam reuertit, relictis Dominis Iaponensibus apud D. Protasium, quorum causa multa spectacula, aliaque publica lætitiæ signa, edita sunt. Post hæc P. Visitator profectionem instruit ad Dominum Sancium Omurandonum, D. Bartholomæi filium, cui eadem cærimonia, & solemnitate, tradidit sacrum lignum, & enses, quæ ex parte suæ sanctitatis, Dominus Michael attulerat Iaponenses adierunt D. Protasium ei congratulato:

sto:recepitque eadem reuerentia, & gratiarum actione, qua D. Protasius.

Regressus deinde P. Visitator ad Collegium, cum P. Vice prouinciale visitationem inchoauit; magnamque consolationem accepit ex conspectu tot fratrum, in remotissimis istis partibus longè ab orbe Christiano disiunctis versantium, tantoque spiritus feruore spiritalique animi voluptate Deo seruentium, ut speciem planè præberent Collegij Europæi.

Hoc tempore, è principibus viris, qui venerunt salutatam Patrem, fuit Dominus Ioannes; qui (quoniam Meaco nunciabatur Quabacondonum non cogitare de Patribus restituendis, foreque necessarium, ut Collegium Canzucanum, ob portus marini celebritatem, è medio tollatur) operam suam offerebat pro conseruando Collegio, in ditione sua; posse enim nostros ibi cum sint extra hominum concursum, minore periculo, magis occultè versari. Domino verò Ioanne Canzuca egresso, Meaco per literas cognitum est, Iconocamum in reditu suo valde abalienatum à Patribus, eò quòd P. Visitator nulla sui ratione habita, pro offerenda Legatione elegisset Cambioiendonum parum sibiamicum. Idè dicebat Cangonocamus; quanquã non aperte id diceretur, sed tantum sermone circumferebatur. Quandoquidem illi ex Parte Quabacondoni, Patrem vocassent, & tam officiosè comitati essent, non debuisse honorem

D 5

hunc

hunc alijs deferri. Quare P. Organtinus huius  
 rotius rei cōscijs, curavit eos visitari, optimasq;  
 rationes reddi, cur electi non fuissent: nempe,  
 quia Meaco abfuissent cūm P. Visitor adue-  
 nisset, neque vllum mandatum reliquissent,  
 quid agendum esset, ac proinde non solum  
 nulla ratione niti possent, sed etiam culpæ  
 alicuius rei essent. Cum enim iussissent vocari  
 Patrem ex vrbe, eo non expectato, nulla-  
 que commissione relicta, discessere, forte  
 quòd existimarent, Legationem Quabacondo-  
 dono, cuius ingenium norant, non fore admo-  
 dum gratam. Verum, vt viderunt, tanto ap-  
 plausu & triumpho receptam, grauatè, atque  
 etiam indignè tulerunt tantam rem sua opera  
 & auxilio non esse perfectam. Quo circa nec  
 vllam admittere voluerunt excusationem, ma-  
 ximè Iconocamus, qui disertè minabatur, se  
 nomen nostrum apud Quabacondonum de-  
 laturum, quod necdum à conuersione nouo-  
 rum Christianorum abstineremus, omnibus-  
 que ministerijs nostris vt aliàs, fungeremur.  
 Rumores vndique spargebat, & alios Domi-  
 nos, Quabacondoni amicos & familiares, no-  
 stræque fidei hostes, sibi adiungebat, vt nobis  
 accusatis, res nostræ, omniumque Christiano-  
 rum Dominorum in discrimen vocentur.  
 Inter cæteros peruerterunt Amascitaimon in-  
 timum Quabacondoni amicum, qui Legatio-  
 nem præsentârat, ei que persuaserunt Legatio-

nem



nē fuisse falsam, & commentū merum Patrum  
vt sic in gratiam redirent, & integritati suæ re-  
stituerentur. Egerunt quoque cum Iacuíno ca-  
pitali nostro inimico, qui fuit primus exilij no-  
stri autor, semperque minatus est, effecturum  
se, vt ne vnus quidem è Patribus in Iapone re-  
maneat: qui, vt Quabacondono est admodum  
charus, & summa vtitur dicendi libertate, ita in  
magnam trepidationem omnes Christianos  
coniecit. Hæc cum agerentur Meaci, & quoti-  
die à Dominis Christianis recētes nunciij affer-  
rētur, cum seria admonitione vt nos occulta-  
remus, dissolueremusq; Collegium, Nouitia-  
tum, & seminariū, ne occasiodaretur maiori-  
bus periculis, omnes eramus in magno mærore  
& afflictione, crebrisque orationibus, sanctisq;  
sacrificijs, & castigationibus corporis rem Do-  
mino commendabamus, multisque consultati-  
onibus vtebamur.

Interim Iconocamus, etsi cum alijs nostris  
inimicis, à peruersa illa mente non discederet,  
tamen hærebant, nescientes an grata futura es-  
set accusatio Quabacondono. videbant enim  
Augustinum Ecunocamindonum valdè ad-  
dictum Quabacondono: & Iacuínus, licet  
nostris infestissimus, eodem Augustino, ita  
Deo prouidente, vtebatur patrono & Pro-  
tectoꝛe apud Quabacondonum. Sed tamē tan-  
dem inimici nostri suis sermonibus Legatio-  
nem Quabacondono suspectam reddiderunt,  
dicentes. Nostros nunquam è Iapone discessisse  
Quo

Quo audito, mutato vultu subiecit, se omnes occisurum. Sed quia tum progressus non est in hoc sermone, nec quæsiuit, vnde id scirent, vel quo loco essent res nostræ, imo ad aliud argumentum, transijt, nihil præterea, ausi sunt hiscere.

Iconocamus, & Cangonocamus prædicti gubernatores Nangasachensium ditionis Vcamensis, antequam Quabacondono de nobis loquerentur, magna celeritate mandarunt suis Officialibus, vt tollerent omnes Cruces, quæ erant in ditione Vramensi, quod & fecerunt, re primum P. Reçtori Nangasachensi indicata, dicentes, se non posse non exequi, quod eis mandatum esset, sublaturus se cruces, sed nullam aliam Christianis irrogaturos iniuriam. Qua re cognita Christiani, se potius mortem oppeturos dixerunt, quam passuros vt Cruces deijcerentur. Sed P. Visitator & P. Prouincialis ad cauenda maiora mala existimarunt permittendum esse, vt tollerentur, & decenter conseruarentur, donec in suum locum melioribus temporibus, restituerentur. In hac turbatione etiã rumor percrebescebat, nos fuisse Quabacõdono delatos, ipsumq; summo furore accensum mãdasse Iconocamo, & Cãgonocamo vt irèt Nãgasachũ, vt funditus euerterent illã Ecclesiã, & quotquot inuenirètur in Scimo. Alij dicebant, illos gubernatores venire, vt in exilium mitterèt Omurãdonũ & Arimandonũ; imò non deerant, qui dicerent eos aduenire, vt vtrumq; è medio

medio tollerēt. Veritas autem, quam ex literis P. Organtini cognouimus, & ex alijs, erat hæc: nos verè fuisse accusatos, & Quabacondonum iussisse Iconocamo & Cangonocamo, vt subito proficerentur versus partes Nangafachen sium: vnde quiuis occasionem hausit, effutienti contra nos, quicquid liberet. Interim varij Christiani ex diuersis partibus confluebant, vt præteritorum rationem redderent Patribus. Existimabāt enim iam appropinquare tempus profundendi sanguinem pro fide. nam videntes Quabacondonum, post exceptam tanto applausu & honore Legationem, in veterem eūque maiorem recidisse furorem, cogitabant omnia iam pessum itura, nec vllam superesse spem liberationis. Verum Patres freti fiducia singulari, quam in Deo benedicto collocarāt, experientiaque crebra auxiliij diuini in similibus tempestatibus, non dubitabant, se hoc quoque licet præsentis periculo, liberandos. Atque hac pace & serenitate animi, quæ maxime in Superioribus elucebat, mirum est, quantum animati sint cæteri Christiani; Siquidem in rebus societatis, cernebāt, ne minimam quidem factam mutationem. Dum hæc aguntur, Meaco adest Omurandonus & auus Arimandoni, cum multis literis Patris Organtini, & omnium Dominorum Christianorum illarum partium, qui ardentissimè rogabant P. Visitatorem, vt res Societatis omnes in locum tutum transferret, & Ecclesias in eam formam redigeret

ret

ret, vt similes essent profanis domibus, aut certè eas clauderet; vt si Quabcōd onus veritate rei examinundā susciperet, Patres deprehenderet innoxios, intelligeretq; eos viuere in occulto, quasi exules, atque ita occasione caperet iræ placandæ. Scribebant ijdem Dñi præterea. Iacuinum durissimè eos repræhēdisse, & comminatum esse; si post reditū Arimandoni & Omuradoni, nō exterminarēt subitò P. P. rex ditio- nibus suis, se eos deserturos, non posse se, quātū uis uellet, eis fauere, cū Quabcōd onus prorsus abhorreat à patribus, & religione ipsorum. Easdem minas eiecerat in Gominum Insulæ Gotanæ, & Tonum firandensem, ambos Ethnicos, quod Patres in suas prouincias deportassent. Vnde & Dominus Gotanus per nuncium admonuit Patres, vt descenderent; posse eos tepestate sedata redire. Quæ res, illarum partium Christianos, in magnas afflictiones & lacrymas coniecit. Idē tentauit Tonus Firandensis, mittens aliquos, qui ex se Dño Hieronymo, & Dominæ Isabellæ persuederēt, nō esse iā tēpus vel retinendi Patres in ditioe ipsorum, vel profiteri Christi religionē, nisi uelint iacturā facere totius status. Sed Hieronymus in fide firmus & constans, etsi sciret unde nunciij isti uenirēt, percōtatus est, num ista monuissent nomine Toni? cumq; respondissent. Nō: Si, inquit, non uenistis Toni nomine, nō aliud habeo dicere uobis quā me, meosq; fratres, inde ab auo mei tēporibus fuisse Christianos, & tales nos uelle mori;

nec,

nec, quia Christiani sumus, vnquam destitimus fideliter seruire Tono. Breuiter, non solū non dimisit Patrē, quem in patria sua detinebat, sed etiam cogitabat recipere eiectos à Goto.

Hac temporum iniquitate, Pater Visitator, & Pater Viceprouincialis varia consilia, tam cum alijs Patribus, quam cum Dominis Arimæ & Omuræ habuerunt, vt remedium aliquod afferrent tum hominibus, tum terris ipsorum. Et ad demonstrandam, quanta conueniebat, fidelitatem, Pater Visitator eos secretò certiores reddidit omnium, quæ Meaci gerebatur, indéque à Dominis Christianis scribebantur; addebatque nos potius paratos esse mori in Insula aliqua deserta, quam in discrimen deturbare personas, eorumque fortunas; si autem illis aliud videretur, Patres eorum ditione excessuros. Verùm, quantam virtutem iam dicti Domini in hoc turbine Ecclesiæ ostenderint, verbis exprimi non potest. Si enim aliàs in persecutione, nunc certe omnem expectationem nostram, eorum virtus superauit, facinusque edidere æterna dignum memoria, ab omnibus Europæ Principibus magni æstimandum. Nam ambo audacter responderunt; se etiamsi capitís periculum adirent, nullo modo passuros, vt vel minimus frater, eorum terris excederet. Nec posse se id permittere sine graui præiudicio suæ existimationis, & manifesto discrimine totius Christianitatis, eòque magis, quod

Patres

Patres dimissi, non possent habere locum in quem se reciperent. Præterea, sicut Patres toto superiore quadriennio cum periculo vitæ & fortunarum, in eadem ditione remanserunt, à quo tamen diuina gratia sunt liberati; sic & nunc remansuros, eodem Deo protegète, eòq; amplius, quod sicut alias fiduciã magnam collocassent in Cruce miraculosa, quam Dominus noster eis ostendit Arimæ, (vt scriptum est proximis annis); ita multò magis nunc debere confidere, se virtute preciosi ligni S. Crucis, à Vicario Christi missi, à nouis periculis liberandos. Ne tamen humanæ prudentiæ & circumspectioni omnem viam præclusisse viderentur, iudicauerunt expedire: vt ex vrbe Canzucana vbi portus est maris, & locus satis publicus, Collegium cum Domo probationis, transferrentur in locum ditionis interiorem, siue coniunctim, siue separatim, offerebatque D. Protasius loca, quæ ad id videretur magis opportuna, adiuncto auxilio & hominũ, & lignorum necessariorum. Existimauit quoque Nouitiatum remouendum à propugnaculo omurano, propter frequentem concursum Ethnicorum, duoque alia loca, quò migrari possit, nominauit. Deinde, vt aliquot primariæ ædes, particulatim autè Arimæ, & Omuræ, & aliquæ Ecclesiæ per quas Ethnici iter haberent, sic accommodarentur, vt foris non præberent speciem Ecclesiarum, in quibus Patres delitescant: sic enim vacuos futuros omni periculo, & po-

& populum in sua deuotione perseueraturum; non necessarium esse istum externum apparatus ad retinendam pietatem, satis esse, si Patres non absint, quorum opera visitentur, & sacramenta eis administrantur.

Denique vt magis eluceat constantia horum Christianorum Principum, sciendum est, etiã si nos retinendo in suis ditionibus contra Quabacondoni mandatum, in discrimen vitæ & fortunarum se coniecerint, tamen, quamdiu Legatio expectata est, opinio increbuit Quabacondonum studio dissimulasse omnia, donec perfecta Legatione nos in pristinum statum restitueret. Verum, cū nunc post perfectam Legationem id factum non sit; imò dixerit, se traditurum omnes quotquot de nostris essent in Iapone, & sanctam legem nostram radicitus euulsurum, nostri quoque recēter de crimine fictæ legationis sint delati, certum est periculum in nobis retinēdis esse magis manifestum. Et tamen, his non obstantibus, Domini illi noluerunt consentire in nostrum excessum. Sed quia Patribus visa est res maximi periculi, tam multos simul versari in loco, ita ab hominibus frequentato, actum est de transferendo Collegio & Nouitiatu in Amacusam. Quod cū D. Protasius nulla ratione probaret, opus fuit P. Visitatorem Arimam proficisci, & deducere hominem à sententia; qui tandem assensit vt Collegium transferretur Amacusam, sed ea conditione, vt minimum seminarium in sua

E ditione

ditione remaneret. Omuradonus verò noluit cõsẽtire, vt Nouitiatus trãsserretur Amacusam nisi adiũcto pacto, vt prãter Pp. qui curã gerebãt Christianorũ, Omurã quoq; manerẽt illi, dabant operam linguã Iaponicã addiscẽdã.

His ita constitutis, P. Visitator, certiorẽ reddi curauit Dominũ Ioannẽ Amacusandonum, qui etiam instabat, atq; etiã vt Collegiũ cũ Nouitiatu & seminario, in suam ditionẽ immigrarent; nam prãterquam quod summo amore prosequeretur Patres, quibus hoc perfugium offerebat, hoc quoque operã precium facturi eramus, vt inter ipsum & Augustinum pax magis confirmaretur.

Ac quia difficile erat, subito instituire migrationẽ hãc triũ maximorũ domiciliorũ, (in quolibet enim, de nostris, alumnis, & famulis numerabãtur centũ capita) maxima diligentia vsi sumus, tũ in aptãdo Seminario, in loco quodã, dicto Fachirao, tribus passuũ milibus ab Arima disũcto, tũ in locãdo Collegio & Nouitiatu in vrbe Amacusana. Nã, cũ egeremus multorũ auxilio, & brachio istorũ Dominorũ, D. Protasius oẽs homines necessarios subministravit, sic vt quotidie operã essent nunc ducẽtã, nunc trecẽtã, sæpe etiã millẽ. Vnoq; circiter mense, eò productũ est ædificiũ, vt oẽs mirarẽtur; in quo ñnerãt duã aula grãdes, quã cõtinerẽt 90. alũnos, cũ suis cubiculis pro decẽ Patribus & fratribus alijsq; necessarijs locis. Qua in re Arimãdoni imprimis eluxit singularis in nos amor & studium;



did. nam & ipse id temporis in propugnaculo Arimensi & Scimanbarano operā dabat certis structuris erigendis, magnumq; suorum hominum numerum continuò occupabat ex mandato Quabacondoni; & tamen, neglectis rebus suis, in nostras totus erat intentus

Eodem tēpore Amacusæ, ex ædibus, quas illi Tonus dederat, & nos ante habebamus, extructū est Collegiū capax hominū è Societate 60ac præterea 60. alumnorū simul & famulorū. Hæc Collegij & Nouitiatus fabricā Dñs Ioannes, vt amore eodē in Societatem, ita pari celeritate, & numero operarū, quo D. Protasius, ad culmen perduxit. Interea res Arimēsæ & Omurēsæ ita sunt Compositæ, vt manentibus licet Patribus nullæ ibi Ecclesiæ fuisse viderentur; Christianisq; indicatū est, hanc moderationē necessariā fuisse, vt D. Protasij & Omurāndoni res tutiore loco essent: & quamuis solaremur eos, spe sedandæ breui tēpestatis, nō potuerūt tamē illi se à lacrymis abstinere. Vt verò omnibus constaret syncerus animus D. Protasij, & Christiani magis animaretur, voluit ipse cū multis equitibus suis erigere ingentem Crucem, intra arcem suam Arimæ, instituitque vt quaque Dominica vnus è Patribus, sacrum Missæ in palatio suo faceret, & exhortationem ad populum haberet. Imo non semel dixit, si opus sit, prouinciam suscepturum concionandi Equitibus suis, & aulicis.

Nō deerāt hoc tēpore, noui nūcij Meaco allati

E 1 de

de rebus Quabacondoni, certoque referebatur nos esse accusatos, nouamque suspicionem de Legatione illi obortam; curasse quoque scribi ad Viceregem epistolam valde superbam & arrogantem, in eaque affirmasse, se nostros omnibus suis regnis exterminasse, eò quòd impia doctrina peruersissimæ legis suæ Iaponios imbuissent, minatum denique si in regnum suum redirent, se eos membratim concisurum.

Creuit metus aduentu Iconocami & Cango-  
nocami ad urbē Nangafachanā, quorum vterq;  
dicebatur in comitatu habere duo millia mi-  
litum. Meaci quoque multa consilia agitaban-  
tur inter Iacuinum & alios apud Quabacondo-  
num. Quidam aiebant, si Nangafachi Ecclesia  
euertatur, & Patres amandentur, fore, vt na-  
ues Lusitanorum non redeant, pereantq; ma-  
ximi momenti commercia: Alij negabant id  
futurum, inter quos erat Tonus Firandensis, &  
Iacuinus, qui postea iactauit, sine dubio Eccle-  
siam Nangafachensem redigendam in cineres,  
rem à Quabacondono non alia de causa differ-  
ri, quā quia ibi adhuc ageret Legatus, eo verò  
digressio: nec illam nec vllas alias in his partibus  
permanuras. Itaque cū omnes essent contrarij  
nobis, nullus audebat causæ nostræ suscipere  
patrocinium, vnumq; remedium & refugium  
supererat, omnem spem & fiduciam reponere  
in prouidentia diuina. Nihilominus Pater  
visitator & P. Viceprouincialis decreuerunt  
ad

ad breue tēpus, cum aliquot Patribus consulti-  
toribus & alijs Nangasaci hærere, tum quia im-  
pendebat tempus, quo appellere solet Nautis,  
& expectabatur aduentus Iconocami & Congo-  
nocami, tum, quia quamdiu ibi erat P. Visita-  
tor nomine Legati, poterant etiam palam & si-  
ne periculo remanere alij Patres, quasi eius  
socij; Et si prius putauit ad eundem Collegium  
Amacusanum, vt fratres solaretur, & in socie-  
tatem reciperet quatuor Dominos Iaponenses,  
qui Romæ fuerant, Hi enim vt fælici exitu su-  
am profectiōem clauderent, postquam à Deo  
electi sunt, vt magna quædam opera in Iapone  
perficerent, & cum P. Visitatore Meaci magno  
honore affecti essent, muneraque Sanctis. D. N.  
D. Protasio Arimandono, & D. Sanctio Omu-  
randono obtulissent, plane decreuerunt, sæ-  
culo deserto ex Christi consilio societatem no-  
stram inire. Quod etiam si ante profectiōem  
Meacensem facere constituissent, tamen tandē  
maluerunt primò omnibus ante dictis negotijs  
finem imponere.

Cæperunt ergo magno studio, & submissio-  
ne animi obtestari P. Visitatorem, vt ipsis adi-  
tum daret ad Societatem, quæ res magnum  
gaudium & consolationem omnibus attulit.  
Nam cum hoc tempore, in summo discrimine  
nostra omnia versarentur, & maiores in dies  
calamitates capitibus nostris impenderent; co-  
gnati quoque eorum, tam essent copiosi & po-  
tentes, vt nihil illis deesse potuerit, admiranda  
E 3 apparuit

apparuit Dei prouidētia in hoc eorum propo-  
sito, & maximē in Domino Michaelē, & Domi-  
no Mantio, qui nullis conatibus matrū, et si in-  
festissimarum, passi sunt se a diuino consilio ab-  
sterreri: quin & Mantius fratri suo Iusto iuue-  
ni. 18. annorū, auctor fuit, vt eandem viam in-  
grederetur: exēplo enim eius ita cōmotus fuit,  
vt non multō post, expugnatis omnibus diffi-  
cultatibus & maternis minis, ac Icodoni sui cō-  
sanguinei, aliorumq; Mantiiū sequeretur, liberē  
respondens suis, se passurum potius, vt in mille  
frusta dilaceretur, quam vt voto suo non faciat  
fatis. Et Dominus Michael cum gratias ageret  
Domino Protasio, affirmavit, se potius ingres-  
surum Societatem, quam suscepturum quod-  
uis regnum, vel dominium quantumcumque  
magnum, vt est Arimense, si offerretur. Om-  
nes autem quatuor dictitabant, neque existi-  
mationi suā, neque saluti animarum suarum  
conuenire, si ingrati essent Domino Deo, &  
non se, pro summo beneficio (quod ex omni  
Iaponia soli ipsi delecti essent, ad spectandas  
restantas in Europa, tantosque honores ubiq;  
recipiendos) totos vicissim Deo offerrent: at-  
que hoc ipso facto omnibus testimonium re-  
linquerent, quanta vidissent. Denique post-  
quam dies aliquot exercitijs spiritalibus de-  
dissent, & facti sui rationes expendissent, P.  
Visitator eos Amacusam duxit, & ad. 25. diē Iu-  
lij anni 1591. in S. Iacobi festo sunt in societate  
recepti, sicut & octauo post die Mantij frater  
Iustus:

Iustus. Omnes autem nunc tale præbent de se virtutis exemplum & specimen, vt non dubitemus eos aptissima fore instrumenta ad conuersionem Iaponiæ.

His peractis Patres regressi sunt in portum Nangasacatum, quo ex Cina Lusitanorum Naui ad 19. Augusti diem appulit; in cuius aduentu intelleximus, quod optabamus cognoscere, sælicem statum Ecclesiæ sanctæ, Regiæ Maiestatis, & Paternitatis Vestræ, aliaq; diuersa noua de rebus Europæ & societatis. Appulsa ad littus nauis, statim aduolarunt officiales Iconocami & Cangonocami, eamque noctu diuq; custodierunt, ne per scaphas aliquid ex ea efferretur: aiebant enim, Quabacondonũ velle cõemere omne aurũ nauis, & idcirco mandasse, vt annotaretur, quot partes auri in nauis essent. At Lusitani restiterunt, & iã di lapsis, triginta diebus, cum tædiũ cõtinuæ illius custodiæ deuorare non possent, constituerunt occultè submittere Lusitanũ aliquẽ ad Quabacondonum, qui eũ huius rei certiorẽ redderet. Interim allatæ sunt litteræ, Iconocamum & Cangonocamum cum magna hominum manu tendere Nangasachum, & quoniam de causa aduentus non cõstabat, magna erat in portu trepidatio. Quia verò P. Visitator, post acceptas Meaco literas, timebat, ne magna huius tẽpestatis pars incuberet in Societatẽ, & Christianos: operã dedit, vt quã primũ mitigarẽtur animi Dominorũ gẽtilium, & imprimis Iconocami, misitq; qui eum

visitaret, simulatque ad suam ditionem peruenisset. Vbi verò Nangafachum ingressus est, subito misit quendam Patrem, qui eum inuiseret, & sequenti die ipse eum inuisit, & licet deprehenderit Cangonocamum humaniorem factum, Iconocamus tamè persistebat in sua animi alienatione, imò disertè aiebat, nullum superesse remedium Patribus, & actum esse de nobis apud Quabacodonum. Erant id temporis ibi multi mercatores Meacenses, & Sacaiiani, & variorum Dominorum Iaponiorum Procuratores, qui ad aurum coemendum, plusquam triginta milia ducatorum attulerant. Hi cum viderent, quò spectarent consilia dictorum gubernatorum, publiceque diceretur; Quabacondonum velle comparare omne aurum, sed pretio longè discrepanti ab eo, quod obtulerant Mercatores, dictis fidem adhibebant. Quare Lusitani statim se in nauem recepere.

Iconocamus verò varios nuncios submisit, qui eum Praefecto nauis de negotio auri tractarent: sed per Officiales ei indicatum est, se hac in re nihil effecturum apud Lusitanos, nisi opera Patrum, qui apud eos in magno precio essent, idque experientia probatum; ad quod respondit, se non egere opera Patrum, posse se, quicquid vellet, ipsum cum Lusitanis transigere. Verum postquam nec Praefectus nauis, nec Lusitani eius votis fecerunt satis, nihil effici potuit, itaque molliri eius animus cepit, & per unum officialem, qui erat Christianus, aliosque Christi

Christianos, quos comites habebat, legationē admodum benignam instituit ad P. Visitatorem, rogans vt ne operam suam in hoc negotio denegaret. Sed, vt Pater probè perspiciebat, quò vergerēt eius conatus, & quid conueniret agere Lusitanos, ita negotium dicebat esse arduum & difficile. atque ita mensis integer Iconocamo, non sine magna molestia, exijt. Pater autem sciens Iconocamum non habere à Quabacondono potestatem faciendi quicquam contra nauem licet eam iactaret, eumq; reformidare responsum, quod Lusitani à Quabacondono expectabant, ita rem vniuersam, nihil concludendo, transegit, vt Iconocamo & Cangonocamo abundè fuerit factum satis. Nam sanctè ei promiserunt, se in posterum causæ Patrum patrocinaturos, commonefacturosq; Quabacondonum, conseruari non posse consueta inter Iapones & Lusitanos commercia, si Patres Iapone exigantur. Interea cognouimus, Lusitanum suprà dictum, cum Meacum attigisset, certiozem reddidisse Quabacondonum de conatibus Iconocami & Cangonocami in extorquendo omni auro, eumq; re intellecta, magno furore accensum in vtrumque, amicosque, eos monuisse de impendente eis periculo, ipsi certe, vt didicerunt Lusitanum redire cum responso contra se impetrato, in fauorem Lusitanorum, cogitarunt de capeffenda quam primum fuga, post longā cum Visitatore, quem & postea ipse Cangonocamus inuisit, tractationem.

E s

onem.

onem. Tandem Lusitanus cum equite Quabacondoni Nangasachū appulit, qui eques magna humanitate Lusitanos allocutus est & grauiter in Iconocamū & Cangonocamū inuectus, aperte affirmans: Quabacondono vehementer displicuisse vtriusq; factū, vt voluntati suæ omnino contrariū: se omnē Lusitanis in mercibus distrahēdis relinquere libertatē, mandauitq; officiales, qui molestiam Navi attulissent, conijci in carceres & condignas de eis pœnas sumi. Scripsit etiam epistolam ad Iconocamū & Cangonocamum, cuius exemplum voluit dari Lusitanis, tam aculeatam & asperam, vt ipsimet mandarint Officialibus suis vincula iniici, parumq; absuit, quin omnes in extremū exitiū venirent. At post perpeſſas multas ærumnas Quabacondonus eis noxam condonauit, sed ita, vt portus Nangasachanus in posterum cederet primarijs è populo, qui dicuntur Ottonas, qui cum omnes sint Christiani, non potuit non hoc nobis esse gratissimum, nempe seruitute hominum gentilium deinceps, quod non sine singulari dei prouidentia accidit, vindicatis. Quamquam & aliud ex hoc euentu, diuino nutu, consecutum est bonum; nam Officialis quidam Iconocami existimans iam actum esse de vita sua, ob beneuolentiam à Patribus præstitā, manus dedit Christo, & sacris aquis tinctus est. Idē fecere quidam alij, & facerent plures, si libertas prædicandi fuisset, itaq; his paucis, ad auerſenda maiora mala, contenti fuimus.

Cum



Cū deinde tēpus aduenisset, quo Lusitana nauis soluere solet in Cinā; Quabacondonus voluit respōsum mittere ad Viceregē, & quoniā adhuc habebat suspectā Legationē, nō solū epistolā ad Viceregē dedit admodū arrogātē, vt diximus, verū etiā capita quāsdā in Pp. adiecit, similia ijs quæ publicauit, dū primo nos è Iapone exulare iussit, cōfingēs, se eijcere P. quod traderēt Legē impiā, & tēpla Camis & Fotoquis idolorū suorū euerterēt, aliaq; facerēt, cū bonis moribus, & legibus Iaponiæ pugnātia. P. Organtinus tunc agens Meaci, effecit per quosdā Christianos vt exēplar epistolæ, & capitū illorū obtineretur, & ad P. Visitatōtē miteretur. Vox cōmunis omniū Christianorū iuxta ac gētiliū erat, naue depulsa, de nouo publicanda esse dicta capita, vt ita occasio daretur tollendis è medio Patribus, qui in Iapone remansissent. Quare Dñi Christiani Meaco scribebāt, non opus esse aliud facere quā vt ædes cæteris maiores euerterētur, & Patrū fratrumque præcipua pars migraret in Cinā, pauci autem occulti remanerēt, alioquin tam ipsos, quam Dominos, qui eos in ditionibus suis detinent, in maximum discrimen vocandos. Pater Visitator per lecto exemplo epistolæ, & capitum dictorum, scripsit P. Organtino, vt quacunque ratione posset, efficeret, vt Quabacondonus epistolam mutaret; & si alius non sit, qui velit ei de ea re loqui, frater saltem noster Ioannes Rodriquez legationis interpretis eum adeat, & dicat, Patrē intellexisse, quid ad  
Vicere-

Viceregem scripserit, eumque vehementer dolere esse illo modo scriptam, planeque confituisse, quandoquidem eam offerre non audeat, nec secum quidem eam deferre. Dum P. Organtinus quaerit hominem, qui causam nostram agat, ecce Deus mouet cor gubernatoris Meacensis, Guennifoin gentilis, Quabacondon valde addicti, & nomine prudentiae, modestiae, & fidei celebrati: etsi non nihil ab alienatus esset à nobis, quod P. Visitator ab initio sibi non fuisset commendatus: etsi Pater officio suo in eo salutando non defuerit. Cum ergo nomine P. Organtini frater quidam ei loqueretur, forte ei aderat alius gentilis amicus plane ignotus, qui dum audit fratrem commendantem Gubernatori res Societatis, vicem doloris nostrorum, caepit obsecrare Gubernatorem, ut velit Patrum causam agere, esse homines probos, quibus multi aduersentur, eosque deferant falso apud Quabacondonum, nulli patrocinentur.

Commotus hoc sermone gubernator, respondit, se libenter obsecuturum, sed magnam fore difficultatem in mutanda epistola, quod esset iam conscripta & signata, erat autem à quodam Bonzio composita. Quodam ergo die, cum Quabacondonus cum dicto gubernatore, praesente Quambioiendono, & alijs familiaribus, loqueretur, petebat, num omnia essent expedita, quae erant mittenda ad Viceregem? respondit autem Gubernator, esse, nec aliud superesse,

resse, quam vt mitterentur. Replicabat Quabacondonus se vehementer suspicari, Legationem fuisse fictitiam, & Patres se fefellisse, ac proinde dubitare, num vlla munera velit amā dare ad Viceregē. Tum Gubernator subiunxit, facile posse cognosci rei veritatem ex interprete Legati, & aliquibus Lusitanis, quos, sua Excellentia posset curare ad se vocari. Et mox Quabacondonus, Rectè, inquit, loqueris, & confestim curauit eos accersiri. Venit ergo Ioannes Rodrigez frater noster, cum duobus Lusitanis, qui cum eo remanserant, quibus, antequam ingrederentur per Gubernatorem eundem, & alium gentilem, voluit indicari, se vehementer dubitare de Legatione, ac proinde liberè dicerent, quomodo res contigisset, & quod argumentum haberent à Vicerege verè profectam esse, deinde si remitteret ei munera, quis redditurus esset ei de ea re respōsum. Respondit frater confidenter, quod ad Legationē attinet; non posse eam in dubium vocari; cū res fuerit omninò publicè gesta, vt quod Legatus tanto comitatu aduenerit, tot regna transferit, tanto tempore in Cina hæserit, equos, aliasque res Indorum proprias, quæque non potuerint occultari, adduxerit: & si Vicerex illa non misisset, quod fieri non potuisset, vt alia via illa mitterentur: deinde, quod Legatus publice cum quatuor Dominis Iaponensibus è nauī descenderit. Addidit præterea Excellentiam suam posse ex multis Lusitanis

tanis

tantis rem explorare, qui tunc temporis in portu, & naui fuerunt. Ad hæc non potuisse confingi Legationem tam splendidam, & tam publicam; nam si ad aures Viceregis, uti omnino venire poterat, peruenisset, valdè grauitertulisset rem tantam nomine suo confingi. Gubernator quoque aliquid, quod in rem nostram faceret, adiungebat. Atque ita factum est, Deo iuuante, ut Quabacondono fuerit satis factum, ipseque affirmarit, agnoscere se, ita se rem habere. Idem confirmabant alij Domini, qui presentes aderant. Quod verò ad munera attinet, quæ Quabacondonus cogitabat destinare ad Viceregem, subiecit idem frater, etiamsi satis sit in ea re testimonium omnium Lusitanorum; verè tradenda esse Viceregi, tamen, ut certius de re constet, posse eum mandare, ut socij aliquot Legati in Iapone obsides permanerent, donec ex India responsum de redditibus muneribus afferatur. Ad quod respondit, rationi consentanea esse omnia, & iccirco subito dedit illi aditum, multa que percunctatus est, cum significatione approbationis responsorum, & addidit, se hæcenus nunquam benè de his rebus informatum, Patres esse extra culpam; exilio causam dedisse quosdam ab ijs institutos Christianos, qui exigua prudentia, & nimio feruore contenderant omnes suos subditos adigere ad suscipiendam Christianam religionem (Videbatur autem digitum intendere in Iustum Vcondonum) qui multis persuaserant

rant

rant non solum vt sacris nostris initiarentur, verum etiam vt idola Chamis & Fotoquis euerterent, & subditos omnes ad ouile Christi pellicerent. Verum ille ea in re nullam culpam agnoscit, sed magnam potius gloriam suam, vt re vera est. Quærebat quoque, num omnes in India essent Christiani? Respondit frater, Indiam esse regionem maximam, in eaq; varias esse sectas, & liberum cuique esse aditum ad Christianam, & idè Patres in omnibus Indiæ partibus, nullo contradicente, eam diulgare. Ex quo responso consolationem aliquam accepisse videtur, nam subiicit, in Iaponia cuique liberum esse, sequi sectam quam velit. Sed quia Iaponia sit regnum Chamis, cui omnino repugnet doctrina Christiana, non posse eam bonam esse pro Iaponia, licet bona sit pro India. Addidit, placere sibi commercia Lusitanorum, velle se mittere quosdam salutatum Viceregè, permittere se quemque eam religionem colere, quam suscepisset, parum referre, etiam si aliquot minorum gentium homines in Iaponia sint Christiani. Inter alia deinde quæsiuit à fratre, quare vnus è Patribus Legati officio functus fuerit, cū tamen oēs fuerint exilio multati. Respondit, Patrem alias fuisse in Iaponia tēpore Nabu nangæ antecessoris, cumque post reditum in Indiā, didicisset, suam Excelentiā peruenisse ad Iaponiæ sceptrū & Patrū esse fauorē & Patronum, visum esse faciendum vt Iaponiam, cum hac Legatione quandoquidē iā aliquā  
Iaponiæ

Iaponiæ notitiã experiẽtia ipsa collegisset, epereret: Cum autẽ ex India discederet, nondũ ci constitisse, de Patribus exilio multatis. Deniq; post longum sermonem, cum magna significatione lætitiæ, iussit afferri aliquot dona, quæ ad Viceregẽ erant mittenda, voluitque Lusitanum indui armis quæ erant quoque mittenda. Atq; hinc omnes maiorem opinionẽ sperã conceperunt, sc̃licitem fore rerum nostrarũ exitum, quam vnquam fuerit expectatum. Gubernator inde fratri dixit, Quabacondono totam eius relationẽ placuisse. Subiunxit se non esse similem eorum, qui fingerent se esse fautores; & postea facerent omnia contraria. Hac occasione exposuit illi rerum nostrarum statum, demonstravitque necessarium esse conscribi aliã epistolã ad Viceregẽ. Promisit se fautorẽ, futurũ, & effecturum, vt epistola mutaretur, modo aliqui Patres pro obsidibus Nangasachi remanerent, sed à prædicatione diuinæ legis abstinerent. Sic inquebat, necessariò faciendũ est si me vultis habere patronum, si enim seculus fiat conijcietis me in discrimen apud Quabacondonum, & ex amico reddetis hostem infestissimum. Habete patientiam modò; nam sublato Quabacondono, poteritis legem vestram propagare.

Idem frater postea iuit salutatum lacuinum, nullo signo indicans se scire illum nostræ religioni capitalem semper hostem fuisse, licet exterius semper ostenderet se esse P.

Visita-

Visitatoris amicū. Hic Iacuinus fassus est, Quabacondonum post colloquium fratris valdè mutatum, nec se mirari eum suspectas res nostras habuisse, cum multos secum habeat, qui pessimè de rebus nostris loquantur. Monuit, vt P. Visitatori scriberet fortiter ferret ad tempus omnia, Sperari breui meliora temperaret ardorem Christianorum degentium in Scimo, Patresque iuberet se domi continere, & à prædicatione abstinere; Quabacondonum velle præstari sibi obedientiam, esseque hominem simplicem, qui paulatim, magis magisque placaretur. Multa alia quoque consilia dedit, vt & ipse animum mutasse videretur, req; ipsa, declarauit se rectius affectum ad fidè Christianam. Non parum hanc Iacui mutationem promouit beneuolentia Nangasachi præstita eius Procuratori, gentili quidem, sed homini à natura probo, qui toto pectore recepit se causam nostram Iacuino probaturum, vt & fecit, eiq; dixit, si Patres nō maneāt Nangasachi, nullam Iaponijs amplius fore negotiationē cū Lusitanis, omnia cōmercia finem habitura, nauem nō rediturā: quo sermone planè mitigatus est.

Sub hoc tempus obiit vnicus duorum annorum filius Quabacondono, qua morte magnū accepit vulnus, Chamis quoq; & Fotoques, orationesq; Bonziorum in minore æstimatione esse ceperunt. Post diuturnum verò luctum & magnificas exequias, factus mansuetior, reuocauit fere omnes, quos in exilium amandarat.

F

Et

Et nos cum Icondono magna spe lactabamur, Interim Gubernator capta occasione sermonem renouauit de epistola ad Viceregem mittenda, addens, Legatum sibi scripisse, se valde dolere ob argumentum epistolæ, si eo modo perferat ad Viceregem fore ingratisimam, & quoniam sua Excellentia vellet retineri commercia, amicitiamque Viceregis, necesse esse, ut alia epistola longè à priore diuersa exaretur. Acquieuit Quabacondonus, & subito voluit aliam exarari. Sed quia Bonzij priorem scripserant, consilium mutauit: cumque postea cum gubernatore, alijsque Dominis colloquium habere petebat, paratane essent omnia pro Vicerege; & responsum est, non superesse aliud nisi ut alicui consignentur & mittantur, tum ille quærere, an conueniens sit Nangasachi aliquos ex eis relinquere obsides, & quot esse possint. Respondit Gubernator, sibi videri relinquendos decem vel viginti, quoque plures relinquerentur, eò melius esse. Tum ille, sibi quoque idem videri, & conuertendò se ad reliquos Dominos, specie sciscitandi, omnes simul respondere, idem sibi videri. Vnde apparuit, iam esse placatum: & ad continuanda commercia cum Lusitanis, obtinendumque ex sua legatione responsum voluisse Patres remanere Nangasachi: Sed ut ostenderet, se non esse inconstantem, & magis haberet subiectos, consilium secutus est de retinendis aliquot Legati socijs,

Paucis



Paucis post diebus frater Ioanes Rodriguez à Quabacondono vocatus est, vt commédaret ei munera, & literas ad Viceregem, multisque verbis eum ambuládo beneuolè allocutus est, affirmans, se velle habere magnum cum Vice-rege commercium: Lusitanos & Iaponios fore vnum & idem, Patres in rebus actis vacare culpa, sed quia Iaponia sit regnum Chamis non bene illi conuenire cum lege nostra. Omnino se optare vt magna inter vtrosque sit negotiatio, Lusitanos degere posse in quacunque Iaponiæ parte collibuerit. His & similibus verbis amicè eum à se dimisit. Gubernator quoque ei tradidit epistolam pro Patre Visitatore, qua indicabat, quandoquidem Quabacondonus mandasset, vt decem è socijs eius in Iapone remanerent, in posterum fæliciores fore rerum nostrarum progressum, prorsus commendans, ne hoc tempore rumor aliquis excitaretur.

Hoc successu minimè expectato plurimum recreati sunt omnes Christiani, videbamurque illis quasi restituti. Nam intelligentes epistolam illam terribilè contra Patres scriptam, esse mutatam, decemque socios ex mandato Quabacondoni debere manere Nangasachi, planè colligebant, neminem deinceps accusationem in nos vllam moliturum. Itaq; noua lux omnibus videbatur oborta, & diuinæ prouidentiae potentiam admirabantur

quod quo tempore nullum mali remedium  
superesse visum est, extremaque tempestas, di-  
gresso Patre, omnium imminebat capitibus, se-  
renitas vultus Quabacondono redierit. Ita fa-  
ctum est, vt fides in nouorum Christianorum  
pectoribus multum sit corroborata, & nos in  
trāquillitate magna & pace, ac in primis P. Visi-  
tator, vitā egerimus. Etenim cū necessarium  
esset eum in Indiam reuertere, ne Quabacon-  
dono aliqua nouæ offensionis in Christianos  
ocasio suppeditaretur, ipse verò & nos omnes  
in magno essemus mærore & angustia, si in tam  
afflictio statu res Christiana mansisset, magno  
beneficio affecti fuisset, si vel vnum Patrem  
Nangasachi nobiscū retinere licuisset. Verum  
Deus totis his quinque annis persecutionis in  
nullis, quantumuis magnis, afflictionibus, &  
turbis nos suo solatio destituit. Primum enim  
omnibus Patribus & fratribus firmissimam cō-  
municauit spem, omnium periculorum & dif-  
ficultatum breui finem fore, simulq; animum  
& pectus dedit, millies potius morte occumbē-  
di, quam Christianum gregem deserendi in  
Iaponia: accedit, quod in æstu tribulationum,  
& nouis rumoribus ingruentium grauiorum  
tempestatum, tanta in pace & securitate viue-  
bamus, vt ipse P. Visitator obstupesceret, neq;  
aliud esse poterat, quam ipsius Dei opus. Alte-  
rum solatium fuit, quod benedictus Deus hoc  
ipso tempore tantam animi fortitudinem Do-  
minis Christianis contulit, vt nunquam dubi-  
tarint;

tarint nos retinere in suis ditionibus, etiam si  
vitæ & fortunarum omnium ipsis ad eundem  
esset discrimen. Qua re semper iniecta nobis  
spes est, non permissurum Dominum Deum,  
ut causa tuendorum Patrum, illi iacturam fa-  
ciant vel vitæ, vel dignitatis suæ. Certe D. Pro-  
tadius, alijq; Domini, crebrò dictabant, desi-  
derium pro amore Dei ad eundem periculo-  
rum, nõ tam imminuere in eis spem & securita-  
tem, quàm augere potius. addebant alij, cum  
Patres amore salutis Iaponiorum cum peri-  
culo vitæ suæ remanere velint, conuenire, ut  
ipsi quoque ad conseruandos Patres in idem  
periculum se conijciat. Tertium solatium fuit,  
quod quo plus crescebant minæ persecutionis  
Quabacodonianæ, de euellendo radicitus semi-  
ne fidei Christianæ, hoc amplius Deo propitio  
fidei existimatio apud gentiles, desideriumq;  
Christiana sacra suscipiendi, creuerit, nec dubi-  
um est, quin res sit omnino supernaturalis, si  
spectemus, quanto timore & tremore omnes  
seruiant Quabacondono. Nam etiam à maximis  
Dominis, quantumuis sanguine & genere con-  
iunctis mox atq; in exilium abacti sunt, sum-  
moperè abhorruerunt, nec vllus inuenitur, qui  
vel minima eis fauoris aut amicitiae signa exhi-  
beat: nobis verò licet externis & alienigenis,  
& tãtopere apud ipsum Quabacondonum exo-  
sis, maiorem quam vnquam honorem & reue-  
rentiam præstiterunt. Quartò voluit Deus nos  
etiam consolari, quod Ethnicorum quorun-

dam animos ad nos iuandos, & è periculis liberandos excitauerit, vt Gubernatoris illius Meacensis, & Procuratoris Iacuni, & aliorum, & quod amplius, quod ipsum Iacuum impulerit ad suscipiendum nostri patrociniū apud Quabacondonum, & retinendam amicitia Augustini Eucnocamindoni, ac Patris eius Aicumindoni, Arimandoni, & Omurandoni, omniumq; aliorum Dominorum in Scimo. Vnde etiam si nobis malè vellet, ageretque cum dictis Dominis, vt nostros suis ditionibus exturbarent, nihilominus propter illos, ab accusatione nostrorum abstinuit. Sicut & alij non ausi sunt nos accusare, quod viderent Iacuum ipsum ad gratiam Augustini conseruadam non solum non infestum esse Christianis, verum etiam eorum patrociniū suscepisse. Verum quia gratum fore Vestrae Paternitati existimo secundae epistolae responsū à Quabacondono ad Viceregē datae subiungam illius exemplum.

EXEMPLVM EPISTOLAE QUABACON-  
doni ad Viceregē Indiae.

**D**omine, Recepi literas, quas Dominatio Vestra è tā loginquis regionibus ad me misit, in quibus aperiendis & perlegendis visum mihi videre longitudinē leucarum terrarum mariq; Regnū hoc Ioponiae, vt scribebas, continet amplius Sexaginta Status, vel ditiones, in quibus superioribus temporibus magnae fuerunt

runt